



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XIII. Caelestini Papae I. Ad Maximianvm Constantinopolitanvm  
Episcopvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

longa a maioribus vetustate sic reliquit, vt maiorem summam reddituum clericis pauperibus & monasteriis annis singulis præciperet erogandam: sed hæc possessiones ibidem constitutæ in damnum pauperum, huius negligentia (vt grauius nil dicamus) qui his præfuerat, easunt ratione tractatæ, vt non solum consueta non soluerent, verum etiam subreptitia impetratione earum iustum dominium violetur. Rogamus pietatem vestram, vt religiofæ & illustri domui & ecclesiæ id pro clementia vestra præstetis, vt omnis ab his infidantium inquietudo discedat, vt tam ecclesiæ quam suis dominis sit tuta possessio. Quod inde alimoniam pauperum acquiritur, vestrum esse creditur. Data Idibus Martii, Flauio Aetio & Valerio viris clarissimis consulibus.

## EPISTOLA XIII.

## CÆLESTINI PAPÆ I.

AD MAXIMIANVM CONSTANTINOPOLITANVM  
EPISCOPVM.

*Cælestinus episcopus, Maximiano episcopo Constantinopolitano.*

**V**IDIMVS & amplexi sumus fraternitatem tuam in literis tuis, talemque sanctitatem tuam, qualem noueramus, inspeximus, simplici scilicet puritate gloriosum & mentis fulgore potius quam honore perspicuum; quem in se atque in statum suum illa, de cuius fide semper gloriabamur, ecclesia, quæ nunc te præfulem diuino iudicio, postquam illum qui eam obsidebat eiecit, accepit. Sume gubernacula notæ tibi naui, eamque, vt didicisse te ex tuis prioribus nouimus, rege. Obsiste vndis, quas ille ventus, qui & a naui vectores abegerat, sed omnibus inimicus excitauit, omni eam laterum cupiens compage dissoluere, vt rapidis eam posset vorticibus deuorare; professus falsum (quidem non iniquitas profitetur?) gubernatoris officium, vt videretur regere, quos perdere nitebatur. Adhuc te excitatæ ab eodem vndæ circumsonant, & elati fluctus vel procellæ sollicitant: resiste peruigil, & commissæ tibi naui magister, salutem commissorum tibi qua potes cura succurre. Fac quietum mare esse quo nauigas: fac tua arte tutam nauem post eas tempestates, quas sustulerat,

quam gubernas. Illum sequere piscatorem, qui maris a-  
quas pedibus, vt ad Christum Dominum nostrum, quem  
ambulantem in mari viderat, posset peruenire, calcavit.

Sequere priorum, a quibus eruditus es & nutritus, Exhortatur  
sequi ma-  
iorum ve-  
stigia. exempla pontificum, beatissimi Ioannis in prædicando  
scientiam, sancti Attici in repurgandis hæresibus vigilan-  
tiam, decessoris tui Sifinnii, cuius te successorem credi-  
mus, simplicem puritatem; vt de illa (vt solebamus) gra-  
tulemur ecclesia. Congrega sparsos, piumque animum,  
qualem te habere nouimus, in eos quos dissipauerat per-  
turbator exerce. Congrega populos tuos ad matris suæ  
vbera: reuoca quos imbibito veneni sapore abstraxerat  
inimicus. Confirma in fide quos videris appetitos, cura  
quos inspexeris vulneratos, remoue qui non sentiunt me-  
dicinam: interdum enim dolor tollitur, & cum ea quæ  
sunt noxia præciduntur, salus reliquis præparatur. Latus  
campus est, frater carissime, in quo gloriam & vigilantis  
pastoris & benigni sacerdotis exerceas, & sapore mentes  
Christianæ salubritatis infundas: vt plus in reparando po-  
tuisse te liqueat, quam ille potuit in lædendo, qui imita-  
tor diaboli maluit esse quam Christi, perturbans omnium  
ecclesiarum quietem, cui nunc debemus operam in com-  
mune præstare, vt omnium vna fides & vnus sit animus  
sacerdotum. Teneat manus tua dominicum ventilabrum,  
& purget aream creditam tibi, vt a frumentis paleæ sepa-  
rentur, & omne, iuxta mandatum Christi Dei nostri, hor- L. uc. 3.  
reis triticum aggregetur.

Locū impietas nouella non habeat, & compressio olim De repel-  
lendis Pe-  
lagianis. per totum orbem sua damnatione noto Cælestiano errori  
a tua vigilantia resistatur; vt quicumque huius dogmatis  
sunt sequaces ab omni societate hominū repellantur. Ob-  
sistat illis per te Spiritus sanctus his in omnibus qui ad has  
quascumque conantur prouincias peruenire, ne eorum  
impia prædicatio resurgat. Obsistite eis: ita enim, vt dam-  
nentur quocumq; perueniunt, innotescunt, & tamquam  
non illis sententia toties repetita sufficiat, longinquas ter-  
ras remotasque prouincias inquietant: sed eos ille per-  
sequitur, cuius fidem sua prauitate persequi nitebantur.  
Sed quo se abscondant, ad quas latebras confugiant, sua  
se impietate prodentes, \* non possunt. Filios vero nostros

\* inueni-  
re Concil. Tom. 4.

Rrr ij

religiosos viros Ioannem presbyterum & Epictetum diaconum cum magna lætitia suscepimus, & cum maiore gratulatione remisimus. Data Idibus Martiis, Flauio Aetio & Valerio viris clarissimis consulibus.

## EPISTOLA XIV.

## CÆLESTINI PAPÆ I.

AD CLERVM ET PLEBEM  
CONSTANTINOPOLITANAM.

*Cælestinus episcopus clero & plebi consistentibus Constantinopoli.*

**E**XVLTATIO matris est congregatio filiorum: denique lætatur ecclesia, ita se filios, quos diabolus dispererat, iterum congregasse, vt ex his, nisi filius perditionis, nemo sit perditus: quia eum filium suum nequaquam pater agnouit. Illum namque ex quo erat (sicut legimus) imitatus, vobis legitimis Dei filiis hereditatem conabatur auferre, quos dicente Apostolo, *pro fide vestra & heredes Dei, & Christi nostri futuros credimus coheredes.* Non ergo ei palmam de his referre permissum est, qui de ipso magis per arma fidei triumpharunt: victores vos, imo communis regis de hoste victoriam loquitur tyrannus exclusus: vicit in vobis, cuius incerta ferri diuinitas putabatur. Separetur \* prauitas, quæstionem dixerim quam sibi vnusquisq; bene credens debet simpliciter aperire. Quis enim ad examen vocare audeat Deum, eumque discutere qualiter venerit subuenire? Non fuit difficile Deo posse quod voluit, cum dignatus est liberare, qui potuit. Sed vnde illi peccatori in tanta caligine sua lumen non videre? Vnde terrenis argutiis in superioribus positam colligere veritatem? Hæc in tenebris suis videre non possunt, qui lucernæ illius verbum nesciunt, quod esse lumen semitis suis Dauid propheta testatur. Cum quo psalmographo (vt supra diximus) *matrem lætantem*, in vterum suum, quem dissipatio hucusque ridicula & blasphema turbabat, reuersis filiis, cantare delectat: *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Competenter hæc ergo verba de eo fuerim mutuatus: mihi namque ex parte maxima, venerandæ Trinitatis auxilio, ecclesiæ vniuersalis quietem & sum-

Rom. 8.

Congratulatur de prostrato hæresiarcha.

Psal. 118.

Psal. 112.

Psal. 132.

\* natiuitas,